DE ISATIDE. CAP. CXXIIII.

NOMINA.

ΙΣΑΤΙΣ Græcis, Isatis Latinis uocatur, Gallis, ut in cõmentarijs suis testatur Cæsar, Glastum olim dicebatur, nunc Guadum. Germanis autem ad hoc nomen alludentibus, Weydt nominat. Arabibus Nil, Nilech, & Indicum, ut lib. i. Paradox. cap. uigesimosexto monstrauimus. Barbari deprauata uoce Osatim appellant.

Guadum. *Nilech.* *Indicum.* *Osatis.*

GENERA.

Duo Isatidis sunt genera. Vna enim satiua, qua tingendis lanis infectores utuntur. Altera uerò syluestris, qua lanarum infectores haud utuntur. Priorem Germani simpliciter Weydt/alteram uerò cum adiectione wild Weydt nominant.

FORMA.

Satiua. Satiua folia habet Plantagini similia, sed pinguiora, nigriora q̃, caulẽ duobus cubitis altiorẽ. Hęc Dioscorides, qui reliquas notas, quę syluestri similes per omnia sunt, cõmemorare noluit. Ex syluestris tamen effigie facilè quales sint æstimare poteris:

Syluestris. hęc em̃ teste Dioscoride, satiuæ similis est, folia tamẽ maiora obtinet, ad Lactucę folia accedentia: caules etiã tenuiores, multifidos, rubicantes, qui in cacumine folliculos linguarũ figura multos dependentes habent, in quibus semen. Flos ei luteus & tenuis.

LOCVS.

Isatis satiua copiosè in Germania prouenit, præsertim agro Erphordiano, cui magnum quæstum adfert. Viridem enim herbam trusatilibus molis premunt, ut herbaceã saniem excludant: dein abacto liquore digerunt in magnos globos, quos tabulatis cõputrescere in æstate feruente sinunt. Hos cortinis infectoriæ coquunt officinæ, & laneos pannos, ac uellera demergunt, ut cœruleũ imbibant colorem. Syl-
D uestris sua sponte in quibusdam Germaniæ locis nascitur, ut Tubingæ, ubi omnes uinearum maceries hac herba septæ uidentur.

TEMPVS.

Maio & Iunio mense florent, ac subinde semen proferunt.

TEMPERAMENTVM.

Isatis satiua ualenter admodum exiccantis, nondum tamen mordentis facultatis est: amara enim simulatque adstringens existit. Syluestris uerò acre quiddam, tum gustu, tum actione præfert: proinde ualentius quàm satiua desiccat.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Isatidis satiuæ folia omnia œdemata & tubercula illita discutere possunt. Cruenta uulnera glutinant. Sanguinis profluuia sistunt. Vlcera phagedænica, herpetas, erysipelata, & putrescentia sanant. Syluestris eadem quæ satiua potest. Lienosis etiam pota & illita auxiliatur.

EX GALENO.

Satiua magna ulcera durorum corporum glutinat, etiamsi in capitibus musculorum fuerint, & sanguinis profluuio laborantibus partibus utiliter illinitur. Tumores œdematodes mirificè discutit, simul & reprimit, omnibusq; ulceribus malignis mirabiliter resistit, etiamsi putrescant, etiamsi erodantur. Quod si quando laborantis natura ualidior appareat, foliis eius tritis aut panem, aut hordeaceã farinam, aut triticeam, aut polentam, pro uincente in unoquoq; affectu, miscere oportebit. Syluestris uerò potentissimè humidis putredinib. obsistit, ad cętera uerò iam comprehensa deterior: immoderatius enim & cum mordacitate desiccat, talia nanque irritantur hoc pacto, & phlegmone grauari incipiunt. Cæterum ob facultatis robur lienosis quoq; utilis est, quum altera prodesse nondum possit.

EX PLINIO.

Isatidis folia trita cum polenta, uulneribus prosunt. Sanguinem sistit. Phagedænas & putrescentia ulcera, & quæ serpunt, sanat. Item tumores ante suppurationẽ. Contra ignem sacrum, radice uel foliis prodest, uel ad lienes pota.

DE ITEA.



ISATIS
SATIVA.